Chroch







ANDREAE CHIOCHI

MEDICI, ET PHILOSOPHI VERONENSIS,

COMMENTARIVS QVAESTIONVM Quarundam de febre mali moris, & de morbis Epidemicis.

ITEM DISPVTATIO DE SECTIONE Venæ in obstructione ex humorum Qualitate.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS.

Apud Io. Baptistam Ciottum Senensem. 1604.

ILLVSTRISSIMO MO ATQVE EXCELL. D.


D. ALEXANDRO PICO MIRANDVLAE PRINCIPI,

ANDREAS CHIOCCVS MEDICVS, & Philosophus Veronensis S. P. D.



QVæcunque de febre mali moris, atque eius adimendę potioribus presidijs, tum de Epidemicorū morborum ratione nuperrimè sum breuiter Commentus, tuo amplissimo nomini nuncupata in lucem edidi. Perspicuitati iuncta breuitas, & excussa in scribendo Veritas mihi fuit imprimis proposita, cum non ignorarem hæc omnia magnis disputationibus, & prolixis commentarijs a compluribus ad tædium vsque explicata, atque exaggerata. Sed profectò non tàm laboraui quid alij sentirent quàm quid ego diutius Essem meditatus in communem litteratorum lucem e-

uulgare nec tàm ingenij laudem ambitiosè demereri, quàm aliorum ſtudia, & actionem Medicam breuiſſimo fructuoſarum, & definitarum quæſtionum Compendio adiuuare: Hylari ergo fronte Princeps magnanimę, qui iure quodam tuæ familię hęreditario eruditionem omnem amas, opuſculum hoc tuis conceptum, & editum auſpicijs foue, & nominis tui auctoritate à Momorum grege, qui vbique præſto ſunt, & tanquam inertes Fuci aliena tantum vellicant ad quę ipſi adſpirare, vel non poſſunt, vel nolunt pro eximia tua virtute, & in bonas Artes ſtudio, & benignitate defende. Vale Veronæ idibus Septembris.



AN-

ANDREAE CHIOCHI MEDICI COMMENTARIVS

Questionum quarundam de Febre mali moris, & de morbis Epidemicis.

CAPVT PRIMVM.

SApienter à magno Hippocrate memoriæ proditum videtur Artis Medicæ Vries, & δύναμιν nos magis admirari ex merito, si quem ex clandestino morbo ægrum restituat, quã si desperatis, quive nullo pacto curari possunt ferre moliatur. Huiusmodi Clandestini morbi sunt ferrè Epidemici perniciosi, quando vt idem Auctor ait multi homines ab vno morbo eodem tempore corripiuntur, causamque ad id, quod communissimum est, & quo maximè omnes vtimur, referre oportet, est autem hoc Spiritus, & Aer morbosam aliquam exhalationem obtinens. Quocirca mihi statutum est de Epidemicorum morborum natura, & causis quædam perstringere ad praxim Medicam accommodata, idque per occasionem noxiæ Epidemiæ, quæ superiori anno Veronã nostrã, & Mirandulam valdè affixit. Prius tñ dubitationes quasdam Vtiles de febre mali moris Mirandulæ discussas attingendas existimaui, cum illæ ferè ansam præbuerint Disputationi de morbis vulgaribus. Cum primùm .n. Mirandulam accessi, eò missus ab Illustrissimis Vrbis nostræ Rectoribus, vt Serenissimæ Reipublicæ nomine de morbis illic vagantibus certiores fierent, nihil prius, aut antiquius habui, quam Medicorum ibi degentium ingenia explorare, & congruis interrogationibus morborum vigentium quique viguerant speciem, mores, & curandi adhibitam rationem cognoscere, cæterum illi (quæ maxima fuit eruditorum virorum modestia, & candor ingenuus) cum febres mali moris cum prauis symptomatis, & potissimùm exanthematis (peticulas uocant) peruagatas esse respondissent, Fracastoriumque nostrum mirificis laudibus extulissent, quòd præclare hoc febrium genus expressisset, & quibus præsidijs curari possent docuisset, statim aliquot dubitationes proponentes, de ijs iudicium nostrum candide exquirebant, ut vltrò, citroque iactatis argumentis, & rationibus veritas tanquam ex

silice ignis facilius emicaret, ijs tamen in præsentia omissis cum dedita opera breuitati studeam, quid in propositis quæstionibus verum, aut probabile, quidve definitè sentiendum iudicem, adhibitis demonstrationibus pro uirili me breuiter ostensurum profiteor, atque eò potissimùm, quoniam recentiorũ quorundam decreta, nec veritati, nec Galeno consentanea, dum ea accurate discuterem, à me sint deprehensa. Inprimis dubitatum est an in malignis febribus exanthematum, vel papularũ eruptio critica esse posset nec ne, & nùm iuuari à Medico debere cum diminutiuè sese natura exoneraret. Respondi critica aliquando esse posse, cum coctionis signa præcesserint & in die critica cum uirium leuamento eruperint, vt plurimum uerò esse motum symptomaticum, vel medium potius inter utilem, & noxium naturæ motum, cum hæc irritata à copia perniciosæ materiæ eam strenuè quamuis præpropere ad cutem extrudit, ut postmodum uires interdum valdè refici uideantur, oportere tamen aliquam adesse coctionem materiæ, quæ potissimum in lotio sese prodat, nam primo Epidemiorum secundo scripsisse Magnum Hippocratem coctiones celeritatem crisis, & salutis securitatem portendere, cruda autem, & inconcocta, atque in malos abscessus conuersa significare, aut ἀκρισίαν, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut recidiuas, aut interitum, & Galenum in Commentariis memoriæ mandasse aureum præceptum non adeo à Medicis vulgaribus obseruatum, Qui procedunt morbi à coctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus consequuntur emolumentum, & quarto Aphorismorum, 22. quamdiu à causis morbum facientibus natura grauatur, & humorum adest cruditas, tunc ut aliquid rectè euacuetur fieri omnino non potest, siquidem vt bona crisis fiat coctionem præcessisse oportet, & separationem secutam fuisse, tandemque euacuationẽ, libro etiam tertio de Crisibus sexto, & octauo optimam crisim fieri non nisi in statu, & morbo iam cocto reliquas crises tanto esse deteriores, quãto statum anticipauerint, quocirca & papularum eruptio tanto deterior erit existimanda, quãto longius à statu febris superuenerit; subieci tamen me existimare motus quosdam irregulares interdum moliri naturam, vt cum à nimia praui humoris copia aggrauatur, & propemodum opprimitur, ut nulla uel exigua futuræ coctionis spes subsit tunc enim etiam sine præuia coctione sese exonerare nititur, quos sanè motus irregulari pariter curatione cogitur sæpe imitari medicus. Præclarum huiusce rei exemplum habemus in Metone primo Epidemiorum 3. ægroto. 7. qui cum pessimè laboraret, & ex dextra nare sanguis fluere cæpisset, sed imminute, ei caput lauit Hippocrates, ut sanguis vberius prodiret, hoc Galenus probat magna cum ratione factum, citatque peruulgatum Aphorisma, Quæ educere oportet quoquo maximè vergunt ducere, idque per congruentes locos; verum hic sanguis criticè non effluebat, cum an-

re coctionem morbi initio cæpisset fluere, nihilominus Hippocrates hunc imminutum motum adiuuat vt patet, quod etiam à doctissimo Trincauellio obseruatum esse memoriæ teneo, quem perperam à recentioribus seueris Galenicis vellicari existimo, cum docent fluxionem illam sanguinis in Metone esse naturæ initijs morborum opportunam, nam si eo tempore aiunt, non licet naturæ sanguinẽ profundere, vtique neq; Medico hoc imitari opus fas esset, quæ certè reprehensio est tantis uiris indigna, cur enim non sit motos naturæ illa fluxio humores morbum efficientes protrudentis? cum potissimum Galenus aphorismum illum citet, qui humores huiusmodi per conferentes regiones euacuare præcipit? omnino ergò fatendum est illa fluxione euacuatum esse humorem crudum adhuc, & qui morbum committebat non simpliciter sanguinem, aut à reliquis humoribus seiugatum, cuiusmodi sanè euacuationes sæpenumero in artis operibus nobis licuit obseruare.

CAPVT SECVNDVM.

CAeterùm quoniam apud multos medicos, eosque magni nominis peruulgatum est in maligna ac pestilenti febre humores cordis putrescere quo ueluti characterismo hanc febrem ab alis distinguendam iudicant, hoc etiam in controuersiam est reuocatum; Respondi ego superstitiosam satis uideri mihi illorum sententiam, qui cor solum primaria affectione corripi in huiusmodi febre arbitrantur, quod his argumentis persuasum habeo. Primo excellens, & maligna putredo satis est vt febris pestilens existat, nihil enim interest cor ne, an iecur, uel cerebrum, uel pulmo afficiatur, illiusque insignis putredinis sit domicilium, & focus, quinimmo præter putredinem illam febres exitiosas, & malignas sæpenumero ex phlegmone illarum partium ortum ducere, quod Galeni disciplinæ est consentaneum, vt iam desinant solam putredinem insignem in vasis magnis comminisci quicunquè nulla habita inflammationis ratione solã putredinem perniciosæ febris causam uidentur obtrudere. Sed præterea si semper cor primo afficeretur in maligna febre, sequeretur necessariò materiæ noxiæ decubitum semper fore ad axillas, quæ glandulæ sunt exspurgando cordi dicatæ, iam uero, & Parotides cernuntur in hisce febribus, & inguinum tumores, quod argumentum est, & cerebrum, & iecur affici libro etiam 3. Epidemiorum 3. Com. 11. febrium ardentium, & malignarum causam in iecoris, vẽtris, & cerebri affectionem refert, com. etiam 12. pulchrè docet Galenus ab eodem cæli statu prauum genitum humorem non easdem partes aggredi: primo etiam Epidemiorũ secundo 73. circa æquinoctium vsque ad Vergilias consecutas esse ardentes febres, & sub hyemem tradit magnus Hippocrates, at in Com. Galenus ardentes febres fieri docet flaua bile efferue-

scente

ſcente in venis iecoris, ventris, & pulmonum. Accedit Galenum ire inficias febres ex hypochondrijs ſimpliciter eſſe malignas, cum potius iure meritò ſtatuendum ſit febres à cerebro, membranis, pulmone, & pręijs a corde affecto verè eſſe dicique malignas: quocirca eos omnino decipi, & Galeno aduerſari, qui malignarum febrium characteriſmum in cordis primaria affectione, vel eius humorum putredine conſtituunt, hinc etiam malè Auicennam à Fernelio damnari quaſi in omni febre in corde primo accendi calorem voluerit, cum longe aliud ſit non poſſe gigni febrem niſi cor calida intemperie laboret, aliud cor in omni febre primaria calidi affectione laborare.

CAPVT TERTIVM.

IAm vero, & de ſectione venæ non leuis agitata eſt controuerſia, probabant quidam ſolas cucurbitulas ſcarificatas, idque etiã initio febris continuæ, quæ in malignam vergeret, alij ſectionem venæ quouis febris tempore dummodo conſtarent uires, nec papulæ actu erumperent; dum meum iudicium hac in rè interponerem dixi me ualdè dubium, & ancipitem in hac cõtrouerſia eſſe, nam, & rationes, & experimenta plurima conuincunt, phlebotomiam non uſque adeò in omnibus hiſce febribus eſſe ſecurum pręſidium, ratio demõſtratiua eſt, quoniam ab ingruente malignitate uires apprimè conuelli, & proſterni ſolent, ita ut qui heri pulſum ſatis ualidum præferebat, hodie imbecillem, & languidum prorſus oſtendat, quod argumento eſt inſignem, & venenatam putredinem in ſanguinem, & materiam corporis alimentariam graſſari, uel confirmatã iam eſſe in parte principe phlegmonem, & proindè uitalem facultatem per conſenſum valdè perpeti, quocirca obſeruatum eſt multos ſecta uena etiam antè quartam febris diem, nihilominùs nihil leuatos, ſed potius perijſſe: accedit ſectionem venæ ab ambitu corporis ad intimas partes trahere quod quarto libro de tuenda. 10. Galeno conſentit, cumq; febres iſtæ ex adſtrictione meatuum cutis potiſſimùm hoc tempore euenerint ob Borealem, & gelidam aeris conſtitutionem, nulli dubium eſt potius laxandum corporis habitum, & humorum motum, impetũque ad interiora, retrahendum eſſe ad cutem, eiuſque poros eſſe aperiendos, quos ſanè ſcopos nobis mirificè explent cucurbitulæ, quæ ſi primo quoque tempore affigãtur, auerti poteſt quàmcelerrimè motus humorum ad interiora, prohiberique inflammatio, & obſtructio, quod profectò emolumentum conſequi non poſſumus ſi iam progreſſa febre uſurpentur, cũ iam partis principis inflammatio, vel excellens putredo ex obſtructione eſt facta, hoc etiam Galeno uidetur probatum, qui libro de bonitate, & malitia ſuccorum in febribus peſtilentibus abſtinuiſſe medicos à ſecanda vena docuit, idque prudenter factum ob uirium imbecillitatem tradit. Scio quidem nonnul-

los è recentioribus respondere nullas esse huiusmodi rationes, nam missso sanguine multos sæpe sudasse, quoniam exonerata natura facilius euacuationem ad cutem molitur, præterea 6. Epidemiorum 2. Com. 30. ubi sermo habetur de Simone illo latas pustulas hyeme nõ admodum pruriginosas habente, Galenus in huiusmodi affectu purgationem oppidò quam probat. Verùm ut controuersia hæc maximi ponderis in praxi medica aptè, & congruenter dirimatur, censui semper distinguendas esse hominum temperaturas & dies febris, pensitandamque morbi uagantis perniciem, impetumque, & num quid diuinum, & abditum subsit ex Galeni interpretatione quod respuat phlebotomiam an admittat, quod non temerè monuit Hippocrates esse pensitandum, nec solam rationem virium, ætatis, aut affectus habendam esse putabam, ut fit in cæteris morbis, qui à perniciosa aeris constitutione non proueniunt, nam alioqui, qui plethorici nõ sunt, verùm humoribus à sanguine recedentibus exuberant calidioribus, uel frigidioribus à sectione uenæ arcendos esse iudico, de Galeni potissimum, & Auicennæ sententia, quorum alter cum vel ultrà sanguinem progressi sunt humores, uel citrà restiterint à phlebotomia abstinet quarto de tuẽda, alter uero insigni præcepto, & oraculo nos monuit, vt caueamus ad alterutrum ægros perducere, uel feruorem biliosorum humorum, uel cruditatem frigidorum, quare ne dissipentur spiritus, qui uirium sedes, & substantia existunt, frænumque ijs humoribus adimatur omissa sectione uenæ, cucurbitulæ dumtaxat abhibendæ, quæ trahere à profundis ad cutem aperire, & perspirationẽ humoribus indere sine uirium iactura possint, idque potissimum in febribus malignis, quæ à prædicta aeris constitutione sunt grassatæ, & vulgatæ, in quibus cutis meatus laxandi, & humorum motus ad cutem trahendus erat, sed nec in plethoricis etiam transacta quarta hauriendus è uena sanguis, quoniam iam malignitas inualescit, & virium etiam futurarum habenda ratio, hinc complures Medici hoc anno sunt animo consternati cum, uel paulò ante quartam secta uena plethoricorum, & ætate florentium, nihilominus multi ex ijs ante septimam, & post obierint, ut non iniuria statim oborta sit controuersia, quòd alii uenæ sectionem probabant, alii damnabant, cum multi promiscuè interirent, quibus huiusmodi præsidium erat, vel tempestiuè adhibitum: Sed velim accuratè legi, quæ à Fracastorio Ciue nostro, & Medico Clarissimo libro tertio, de curatione contagiosorum morborum cap. 6. scripta sunt, qui præclare sententiam hanc nostram tuetur, & demonstrationibus adhibitis confirmat, initio enim dumtaxat huiusmodi febrium cum plenitudo magna subest, & copia sanguinis fibrosi cum virium robore secandam venam iudicat, illud etiam acutè, & prudenter monet obseruandum esse, an seminaria putredinis, & infectionis extrinsecus ab aere obuenerint, tunc enim cautius, & maturiùs de aperienda uena consultandum, ne conta-

giosus humor per summa corporis vigens introrsum facta phlebotomia statim in cordis sedem trahatur, uel iam dispersis seminariis, quæ radices vndique egerint secta vena sanguis magis agitetur, & commisceatur, nihilque humoris noxii, & putrefacti euocetur. Quapropter in statu huiusmodi aeris præter naturam diligenter Medicis obseruandus est impetus morborum vulgarium, & quo pacto affecto corpore isti vulgentur, siue enim ex aere inuehantur in corpora putredinis seminaria, vel adstricto vniuerso ambitu cutis humoris impetum ad interiora cæperint, an cucurbitulæ phlebotomię præferendæ sint ex memoratis distinctionibus intelligendum, quarum ope profiteor vel nullum, uel rarissimos periclitaturos ex usu præpostero horum præsidiorum cum nemo nesciat distinctiones medicum rationalem decere, & in omnibus artibus, quæ empirice non tractantur maximum emolumentum afferre; Non me fugit hoc saluberrimum Fracastorii præceptum non usque adeò à Medicis obseruari, qui cũ Epidemici morbi, & febres grassantur, multosque interire conspiciunt ualdè trepidant, & quid consilii capiant, sæpenumerò ignorant, quare ut ex methodi legibus artem saltem exercere uideantur non recedunt à consueta medendi formula, sed scopis quibusdam secandæ uenæ præsentibus statim sanguinem detrahendum sanciunt, haud ritè prius perpensa morbi conditione, & pernicie, ab aere contracta, quæ huiusmodi pręsidium fortè respuit.

CAPVT QVARTVM.

QVæsitum deinceps curiose, atque sollicitè an Theriacæ vsus in his febribus conueniret, nonnullos enim adeo huic Antidoto fuisse addictos scimus, ut ne dum solam per se exhiberent, sed etiam cum medicamentis soluentibus, & contemperantibus permiscerent. Respondi hos è diametro aduersari Galeno libro de Theriaca ad Pisonem cap. 14. cum usu Theriacæ sisti medicamentorum operationem docet; cæterum non me latere recentiores Galenicos valdè inuehi contra huius præclarissimæ Antidoti usum in istiusmodi febribus, dum contendunt crudos humores ab ea agitari, ad peniciores partes deduci, obstructiones, putredinem augeri, & uniuersam humorum coctionem impediri, præterea si Galenus tantus Medicinæ auctor primo ad Glauconem in febre quartana, quæ à frigido humore ortum ducit ante coctionem theriaca non utitur, quantò magis in feruidis hisce febribus ab humore calido eius vsum damnabit? verum me his rationibus non omninò permoueri, aut deterreri quominus eas antidotos fæliciter aliquando vsurpem; cum enim symptomata grauia, quæ subsequuntur vigiliæ, dolores capitis, cardialogiæ, angores, necnon uenenata humorum putrescentium qualitas, ad sese curationem trahant, nulli dubium est nullum theriaca pręsidium his adimendis,

mendis,& mitigandis eſſe accommodatius. Accedit cordis uires val dè laborare ob confluxum putreſcentis,& malignæ materiæ, quam tum calore inſigni ad ſe pertrahit cor præternaturam conſtitutum, partim ipſa proprio impetu tanquàm uenenata, & ad cordis temperiem, & ſpiritus antipathiam obtinens ad ipſum confluit, non ergò ad legitimam febrium harum curationem deſiccando ſcilicet ſuperfluas humiditates, aut aperiendo neceſſaria eſt theriaca, ut nonnulli affirmare non uerentur, ſed dumtaxat ob grauia ſymptomata, quæ uires naturales,& uitales proſternunt, temperiem partium, & calorem inſitum labefactant,& exhauriunt ſinè quibus legitima inſtitui curatio nequit, quod accuratè obſeruandum Medicis omnibus ſum profeſſus.

CAPVT QVINTVM.

IAm uerò de bolo armena,terra Lemnia,lapide Bezaartico, Margaritis præparatis,cornu cerui vſto,hiacyntho, atque aliis huiuſmodi à Medico quodam Hæbreo, qui Mirandulæ Medicinam faciens iam conſenuerat acris admodum nobis præſentibus cum Ioſepho Thedeſco Mirandulano Medico ornatiſſimo inſtituta eſt altercatio, cui, & alter Medicus Mutinenſis, vir certè apprime doctus interuenit, cõtendebat Hæbreus eorum remediorum uſum eſſe noxium ob duas non inelegantes rationes, primum illa omnia adſtringunt,cum lapides ſint,quorum ortus ex terrea materia Ariſtoteli,& Philoſophis ſtatuitur,at huiuſmodi febres ex obſtructionibus inſignibus, & multiplicibus fiunt,quarum curandarum ſcopus eſt apertio uaſorum,& attenuatio humorum:alia ratio erat quoniam putabat hic Medicus affectum pulmonum, & partium ſpiritualium cum his febribus illic tunc populariter uagantibus connecti, ab aere enim humidiori, & pluuio repleta eſſe capita tum uigente boreali aeris conſtitutione expreſſas eſſe complures humiditates in pulmones, quæ ibi putreſcentes pulmoniam aut ſaltem inſignem illarum partium æſtum inuexerint,quod ex difficili anhelitu,ſiti, & maxillarum rubore colligebat, quibus ſanè affectionibus,pulueres illi adſtringentes noxii uidebantur,cum potius eclegmatis lenientibus,& humectantibus, expuitionemque adiuuantibus opus eſſet ad materiam illam è pulmonibus educendam. Cæterùm non eſſe omninò reiiciendum illorum puluerum uſum, cum eruditis illis Medicis cõtedebam quamuis nec ita magnifaciendum,ut nõnulli ferè Empirici ſolent, qui ſola experientia inuentis medicamentis has febres malignas, & peſtilentes curandas iudicant,Galeni etenim de Bolo armena ſententiam, atque Arabum, & recentiorum Medicorum conſenſum de huiuſmodi antidotis non eſſe temerè damnandum, refrigerant enim huiuſmodi medicamenta,& deſiccant,ſanguinem puriorem,& defæcatiorem reddũt

& calorem igneum, naturalemque attemperāt; sed & Fracastorius noster libro tertio, cap. 6. de curatione febrium pestilentium usum harum antidotorum probauit, dummodò facilè in pollinem terantur, & cum liquidis coalescant, habere enim antipathiam tùm spiritalem, tùm materialem ad contagiones, prætereà humoribus intermixtos putrefactionem glutinis instar prohibere, ob insignem verò subtilitatem, & tenuitatem, ad quam redacti sunt, nec obstructiones facere, nec ullam naturalem expulsionem prohibere, eiusmodi esse phragidem lemniam, Bolum armeniam, Margaritas, corallia Hiacynthum, Saphirum, Tormentillam, Bistortam, cornu Cerui, monocerotis, scordium. Quocirca hæc etiam esse opportuna peractis communibus euacuationibus ob symptomata grauia, quæ superueniunt, & presertim cum ui malignorum succorum natiuus calor, & cordis facultas opprimi, & ualdè prosterni uideantur. Iam uero, & illorum complura uim aliquā habent detergentem, & aperientem vt Bolus armena, Tormentilla Pentaphillon, scordium, atque alia huiusmodi, quę proinde in partium spiritualium affectibus non uiderentur improbanda sed de his hactenùs.

CAPVT SEXTVM.

NEc illa sanè questio prætermissa est an non expectatis coctionis signis quamprimum purgantibus medicamentis in pestilenti, & mali moris febre vtendum sit; Ad hanc dixi me aliàs in quæstionibus meis ab hinc nouennium impressis fusè probasse purgationem reuellentem initio harum febrium non expectatis coctionis signis, quod & Trincauellio, Montano nostro, Vallesio, atque aliis optimis Medicis probatum uideo, idque contra recentiores quosdam, qui nuperrime scripserunt, & Galeni sententiam hac in re presse nimis, & seuerè interpretantur, quare me in præsentia breuissimè rem conclusurum; Rationes pro nostra sententia demonstrantes sunt istæ, Vbicumque humores turgent, uel periculum est ne turgeant aggrediendum statim ad purgationem, at in huiusmodi febribus vel turgent, uel paulò post turgituri sunt, & quod deterius, periculum est nè actu repant ad partem principem, & uires uitales cordis potissimùm nè dissoluant, vel suffocent, ergò ex templo, & initio expurgandum. Accedit, humores vt plurimum ex maligna putredine venenatos effici, qui per coctionem ad nullam bonam frugem redigi possunt cuiusmodi humores reperiri Galenus concedit, censetque in legitima coctione humorum substantiam manere, solùm calore externum or natum iis conciliari, vt ad purgationem idonei reddantur. Clamant recentiores absurdam, & perniciosam hanc sententiam existere, quoniam non valet sequella febris est pestilens, ergò humores turgent, quoniam etiam non turgere possunt. prę terea medicamētorum na-

tura ex secundo de ratione victus in acutis 12. corporum quæ expurgantur naturis est aduersaria,& quoquomodo læthalis,& pestilens; Falsum præterea esse docent uenenatos humores nullam posse coctionem recipere,quod ita probatum uolunt; multi ex his febribus pestilentibus euadunt,ergò necessario per coctionem humorum uindicantur. sumptionem probant ex Galeno 3. de præsagiis ex pulsibus 3. vbi monemur eos euadere, quorum calor putridus magis ad humores uētriculorum cordis deflectit, quàm ad corpus ipsius uisceris; sequellam ita ostendunt Galenus libro de constitutione artis capitolo 18. nullum morbum sine coctionis inditiis dissolui posse tradit, & quarto Aphorismorum 21. docet in morbo pestilenti nigras deiectiones in declinatione redditas utiliter. Verùm enimuerò iureiurando affirmarim hos dedita opera nodum in scyrpo quæsisse, cū in febre pestilente, & maligna rarò humores turgere contendunt; quid est enim esse pestilens, uel mali moris κακοηθὲς, nisi vires prosternere præ ingenti succorum prauitate, vt quomodo per Deum fidem hæc vires prosternet, nisi actu repant humores praui ad ipsum Cor,vel pulmonem,vel Cerebrum, ibique, vel perniciosam inflammationem,vel putredinem afferunt,quod si inordinato motu moueri,nec adhuc certam partem occupare, quod est turgere ex Galeni decretis,expurgationem postulat,at in confesso est; quū iam ex symptomatis grauibus superuenientibus colligimus actu humores noxios confluere ad partes principes, non statim reuellendi gratia expurgante medicamento vtemur? Solebat Hieronymus Capiuacceus olim Doctor meus dicere,id inficies ire,uel obstinatæ dementiæ,vel crassissimæ ignorantiæ esse argumentum: At quo pacto,ò Viri docti, cognoscimus febrem esse pestilentem,, & malignam? Dicetis si Galeno assentiri uelitis ex symptomatis superuenientibus id pernosci,cum enim superuenerit delirium,vel cardialgia,& magnus Thoracis,& Præcordiorum æstus,& ueluti angustia, cum pulsus imbecillitate: asseritis naturam ad caput repere, ad pulmones,& Cor; Tum febrem pestilentem esse pronunciatis, & materiam turgere negabitis? immo perniciosius moueri, quam si turgeat? cum iam actu in partes principes præsentaneo periculo confluat: Ergò uelitis nolitis tandem fateri debetis in omni febre pestilenti,& mali moris, quatenus talis est, perniciosis nimirum symptomatis associata, materiam turgere, & proinde expurgantibus medicamentis, sed blandioribus esse euestigio vtendum. Prętereà in humoribus putrescentibus accensa febre indicatio se offert euacuandi,& alterandi. alteratio putredinem finit manente adhuc substantia humoris de Galeni sententia in Arte Medica cap. 89. at humores reperiuntur interdùm in corpore adeò corrupti,ut nullo pecto per coctionem ad bonam frugem redire valeant,quod Galenus sæpissimè docuit libro artis Medicæ cap. 99. libro de locis affec. cap. 5. & alibi; Qua de re copiosè sa-

tis

tis egi libro tertio, nostrarum quæstionum quæst. 13. ut propterea in præsentia non sit longior oratio suscipienda. Id tantum colligi, & intelligi nolim humores praua corruptione putrefactos non posse coctione corrigi, sed statim esse è corpore educendos, & apta reuulsione à partibus nobilibus auertendos, quod purgantibus medicamentis commode assequimur, cum primum grauia illa symptomata se produnt, & antequam grauior virium lapsus sequatur. Sic igitur materia coniuncta euacuata causæ postmodum antecedentis coctionem moliemur, quæ est materia non vsque adeo corrupta, sed mitiori putrefactionis calore correpta; istiusmodi autem putrefactio finiri alteratione sanè poterit manente humorum substantia; Medicusve meatus corporis aperiendo, & crassos humores attenuando insignẽ operam naturæ coquenti præstabit; Huiusmodi enim præparatio propria est Medici, sicuti concoctio naturæ, vt passim Galenus monuit. Quocirca libenter concedemus nos morbos, & febres, quæ nõ sunt mali moris, aut pestilentes, & præterea quę etiam tales existunt, sed ratione causæ antecedentis, nõ posse commodè finiri, nisi per coctionem, ut Galenus libro de cõstitutione artis dicebat, quamquam exempla quædam rara ostendunt absque coctionis signis multos etiam uindicari, vt Metonis exemplum primo Epidemicorum, & pręter cætera, quæ obseruaui, Iulii Cæsaris Bonelmi affinis mei, quem nuper curaui, qui ex plenitudine, & maligna febre ĩ quinta die multis prægressis coctionis signis per copiosum fluxum sanguinis à naribus est vindicatus: sed de his satis. Responsiones ad cæteras rationes ex dictis satis superque patent.

CAPVT SEPTIMVM.

VErùm enimuerò quoniam præclarè ab Hippocrate traditum uidetur libro de aere, aquis, & locis medico anni tempora perspecta esse debere siue propriam naturam seruauerint, siue ad aliam transmutata fuerint, quidve horum vnumquodque efficere valeant tùm uentorum communium rationem, & cuique regioni priuatorum, aquarum etiam uires ei cognitas esse oportere, cumque vrbem aliquam sibi ignotam adierit situm eius explorandum, quomodo ad uentos, & cæli plagas iaceat, aquas etiam an tenues, & molles sint, an duræ, vel asperæ, terram etiam an tenuis, & aquarum expers, an contra potius crassa, & humecta, an in concauo, & æstuoso loco, uel sublimi, & frigido sit posita, hominum etiam viuendi ratio peruestiganda num cibo, potuque se expleant, & ocio se dedant, an laboriosi sint, & cibum appetant parciori victu contenti. Cum hæc nobis inquam obseruanda Hippocrates præcipiat, de his etiam eos præclaros Medicos diligenter interrogaui, & præsertim Ioannem Frambertum Illustrissimi Principis Medicum eruditissimum, & humanissimum

quem

quem honoris causa nominatum uelim. Comperi autem Cælum Mirandulæ crassius esse, & humidius, aquas stagnantes, & ferè palustres, terram crassiorem, & humentiorem in concauo, & æstuoso loco sitam, autumno superiori constitutionem aeris Australem precessisse tum hyberno tempore subsequutam Borealem sicciorem, & frigidiorem, quàm par esset, hinc calorem insitum corporum imbecillum redditum, corporum ex pleniori cibo repletorum meatus externos densatos, atque adstrictos, vnde putredo insignis ex recursu humorum, & prohibito illorum effluxu superuenerit, quæ simul malignas has febres. & exitiosas procreauerit. Existimabam tamen uberiorem soli humorem posse absumi, si aliò perductus quosdam auocaretur, & simul salubriores ad usum aquas futuras, si antè omnia ad ignem admotæ excoquerentur, uel cælestes, & pluuiæ cisternis exciperentur. Cæterùm inter differendum mentio incidit celebris Hippocratis aphorismi 3. lib. Aphorism. 1. mutationes temporum maximè pariunt morbos, & ita in ipsis temporibus magnæ mutationes frigoris, aut æstus, & alia secundum rationem, quem sanè aphorismum preclarissimum dixi haud satis aptè mihi expositum à Galeno videri, qui mutationes præter naturam temporum anni intelligendas censuit, non eorum naturales successiones, & vicissitudines persuasus ea voce μάλιστα, non enim mutatio temporum naturalis maximè gignit morbos, licet eos gignere possit, cum; & eorum multos facile abigat, & dissoluat, quare sensum aphorismi vult esse temporum inequalitatē, & mutationes casu factas morbos inuehere. Verùm si expositionem Galeni accipiamus superuacanea uidebitur reliqua aphorismi pars; in ea enim idemmet frustra repeteretur, quid enim sibi volunt magnæ mutationis frigoris, & caloris in ipsis temporibus, quam inequalitatem illam à Galeno expositam? Accedit ratio acutissima doctissimi Vallesii, quoniam si benè mutationes temporum præter naturā expendamus, illa uox, maximè, non uidebatur adiicienda, quoniam illæ, & soluere quosdam morbos, & alios inferre, uel augere ualent, si enim aer frigidior, & humidior fiat quam par sit, talisve diutius perseueret; lethargicis affectionibus correptos malè afficiet, phreniticos plurimum iuuabit; Hippocratis ergo mens eò vergit, vt temporis mutatio hoc est aeris noua conditio inuecta inter morborum causas maximè sit reponenda, afficit enim, atque alterat corpora nostra aer, nō solum ipsa ambiens, atque eorum meatus, vel laxans, vel adstringēs, uel perspiratum humorum moliens, uel eorumdem compulsionem, & retrocessum ad interiores partes, verùm etiam respiratione, & arteriarum pulsatione admissus, & receptus. Sed profectò mutationes aeris in ipsismet tempestatibus hoc efficacius præstant cum preter naturam fiant, nec tempestiuè tempestiua reddantur, hinc enim morbi inconstantes, & iudicatu difficiles de Hippocratis sententia oriūtur, cum anni tempora suam temperaturam, & naturam non tuentur,

in ipsis ergò temporibus mutationes caloris, & frigoris, humoris, & siccitatis flatuum, & tranquillitatis, Medicis potissimum obseruandę: ut si diutius durauerint, & sequens anni tempus exceperint, uel in hoc ad contrariam constitutionem permutentur, sciant ex magni Hippocratis prescripto futuros, vel ingruentes morbos prenoscere, & predicere, quinetiam congrua pręseruatione iniũcta anteuertere, quod & Medicorum dignitati, & uniuersæ Reipublicæ utilitati plurimùm inseruiret.

CAPVT OCTAVVM.

CAeterùm quoniam rumor increbuerat Mirandulam pestilentia esse conflictatam, hanc sententiam falsam fuisse ita, & demonstratione, & euidenti experimento cõuinci posse sum professus. cum enim ex Hippocrate, & Galeno in Epidemicis, morbi sint, uel dispersi σποραδικοὶ, uel communes, & utrique, uel unam, uel plures regiones uexent. dispersi diuersorum generum. communes eiusdem generis habentur, & utrique adhuc obseruantur esse, vel lethales, uel salubres, morbi communes, & lethales (hoc est qui tres conditiones obtineant, ut sint eiusdem generis, & naturæ; maiorem hominum partem interficiant, & sint contagiosi) pestilentes sunt, & pestem ipsam aduehunt: at morbi communes eiusdem generis reliquis duabus conditionibus carentes Epidemici sunt simpliciter, & passim uagantes. morbi igitur Mirandulę peruagati cum iis conditionibus caruerint, uel leuissimam saltem suspicionem contagii attulerint pestilentes: uel uera pestis non sunt existimandi, nec enim preterea maiorem hominum partem interemerunt, nec uniuersas familias extinxerunt quod uera pestis solet efficere quamve Deus optimus Maximus ab omnium ceruicibus auertat, qua de re nos etiam Mirãdulę certiores facti summus cum sedulio admodum Ideam, & causas morborũ, qui erant illic grassati, superiori hyeme ego, & collega meus peruestigaremus, à nobis certè uigesima tertia Die Februarii, qua illic eramus obseruati sunt morbi potius dispersi, iisque non usque adeò perniciosi, aut lethales hoc est pleurithides, febres malignę declinantes, febres tertianę, atque alii huiusmodi morbi, quorum qui erant exitiosi antè undecimam non interimebant; iam enim epidemię illius furor deferbuerat, cuius certè grassantis tempore præcipuè enituit optimi illius, & magnanimi Principis in suos caritas, & insignis liberalitas tum Medicorum illius ciuitatis prudentia, & diligentia in curandis ęgris, quod hoc loco libẽter memorię proditum uelim, non quòd eos meo testimonio egere existimem, sed ut cęteris in posterum exemplo sint, & ueri officii Medici, atque omnium christianorum, & ciuilium uirtutum, nam tanti Principis eximia uirtus, & pietas suorum animis subditorum consignata, & passim ab omnibus celebrata meo preco-

præconio, aut teſtimonio nulla ex parte indiget. Peſtis autem, vt doCet Galenus, non eſt vnum certum morbi genus, ſed quiuis morbus poteſt eſſe peſtis, dummodo eodem genere morbi plures laborent, & extinguantur, quare hinc etiam colligimus communem peſtis cauſam externam, eſſe aerem, vt rectè ab Hippocrate eſt conſtitutum 2. de natura humana. Huic cauſæ malam victus rationem adiungit Galenus libro de cibis boni, & mali ſucci, & primo de differentijs febrium, eadem demonſtratione vſus, quam Hippocrates in aeris vitio ſtatuendo adhibuit: nam ſicut aer communis eſt plurimis, ita & victus ratio, quod etiam ſatis cõprobat exemplum epidemię in Aeno cum propter eſum leguminum ingenuum dolores, & imbecillitates regio incurrit, reſpondent viri eruditi aerem vnà cum alijs cauſis hoc eſt cum praua victus ratione, & vaporibus elatis à putridis aquis, & ſpeluncis peſtem gignere: vel dicendum putant ab aere fieri morbos Epidemicos: à victu, & vaporibus endemicos, qui certam regionem inuadunt; Hæ reſponſiones nullo pacto Hippocratis ſententiam aut Galeni tuentur, vel eas conciliant, cum ille ſolum aerem vnicam cauſam peſtis ſtatuat, Galenus prauum etiam victum adiungat, à quo morbos epidemicos, & communes non ſolum endemicos procreari velit, quocirca diligentius in hoc argumento & difficultate explicanda verſandum eſſe videtur cum aliorũ inuenta mihi non probentur.

CAPVT NONVM.

CVm de propoſita difficultate diutiſſimè cogitaſſem, atque acri meditatione, & iudicio omnia expendiſſem, tandem comperi Hippocratem 2. libro de natura humana aerem vulgarium, & communium, victum vero diſperſorum morborum ſtatuiſſe auctorem, quare duo iſthæc ſunt extrema aer, & victus ratio, quæ ſi communis ſit mediam morborum naturam inter communes, & ſporadicos, eoſque potius epidemicos non peſtilentes efficiet; vt igitur morbus ſit communis & peſtilens veluti Epidemia ſoli aeri acceptum refertur quod acutè, & ſolidè pronunciat magnus Hippocrates, at varias morborum Ideas corporis diſpoſitio & victus faciunt; Hinc intelligimus vulgares, & Epidemicos morbos ſine peſte varias ſpecies, & formas poſſe obtinere: quemadmodum & ſporadici ſeſe habent, at peſtilentes eiuſdem generis eſſe debere, quoniam nihil eſt quod variare ideam poſſit, & omnis peſtilentia morbi communis nomine ab Hipp. ſignificata ab aere ortum ducit, quemadmodũ, & multi epidemici abſque peſte ab eodem aere valde intemperato oriri poſſunt, vt aeris conſtitutiones Epidemicæ ab Hippocrate cõſcriptæ ſatis teſtantur, verum id diligenter obſeruandum à peſtilenti conſtitutione corporum affectionem, & diatheſim facile opprimi, & vinci vt ſibi omnia ſeruire cogat cum magnam agendi vim, & efficaciam habeant, vt ſicuti ignis om-

nia facile vincit, & in suam formam transire cogit (vt propterea cætera ipsi materiam esse Aristoteles docuerit ita pestilens venenum omnia inficiens suam vim, & noxiam malignitatem omnibus æquè impartiat calidis frigidis, plenioribus, siccioribus, & cacochymis tẽperaturis exceptis fortè nonnullis corporum constitutionibus, quę vitali robore, & spirituum, humorumq; puritate satis posset. Aer igitur princeps est causa morborum vulgarium: victus, vt ideæ morborum varientur efficit, sicuti hoc anno Veronæ patriæ meę ex aere ficciore, & frigidiore quam par sit, qui vetalis diutissimè perseuerauit, Anginæ, pleurithides, pulmoniæ, destillationes *συντόμως ἀπολλύντες*, vt ait Hippocrates Febres malignę complures sunt vulgatæ prout victus ratio, & corporis varia affectio vel Diathesis huic, aut illi morbo homines reddebat obnoxios, hoc pacto censemus Hippocrati conciliari Galenum posse; ille quippè vnum communem, & pestilentem morbum respexit, cuius aerem solum statuit auctorem; hic quamuis communem, & Epidemicum, etiam non pestilentem, cuius geminam causam attulit aerem, & victus rationem, quæ etiam ad variandas ideas morborum Epidemiæ non pestilentis plurimum confert: Hæc consentanea videntur ijs, quæ in libris Epidemicis, de natura humana, de cibis boni, & mali succi, atque alibi traduntur: Quo quidem pacto exponenda esse arbitror veterum dicta, non nouis dogmatibus exagitanda vt ij faciunt, qui nuperrimè scripserunt: Hi enim calore quodã Phantasiæ perciti, vt Ioubertus Argenterius, & Simon Simonius, atque alij nulla iuditij vi, aut certa notitia, vel memoria. Veterum dogmatum opinionum monstra in medicinam inuehunt. Iudicium est sapientiæ anima, & memoria est eius veluti Fulcrum: illius lumen potissimum elucet, dum vniuersales methodos, & artis Theoremata particularibus, & singularibus aptamus, tum nostram sententiam validis rationibus comprobamus, & si quæ ambiguè à Galeno, & Hippocrate dicuntur distinguendo, atque aptè interpretando in lucem reuocamus quod tempestate nostra Franciscum Vallesium egregiè præstitisse non ignoro: Hęc iudicij officia sine ope memoriæ effici nequeunt quare qui vel legendo, vel scribendo, vel consultando proprio Marte omnia effingunt, sæpè naturalis iudicij vi decepti non syn ceram doctrinam, sed suas imaginationes obtrudunt, quæ eò cognoscũtur praxi inutiles, sępè pnicioſæ, quoniã ex vna, vel altera obseruatione accidẽtaria propositiones uniuersales colliguntur aduersus antiquorum doctrinam, quæ captio est à secundũ quid ad simpliciter: de his loquor, quorum scripta ad manus meas peruenerunt: Audiant quæso isti aurea magni Fracastorij verba 3. de morbis Contagiosis cap. 6. ita enim scribit de smaragdo loquens: Ego quidem super hac re experientiam sufficientem fieri satis difficile arbitror, nam & si aliqui assumpto smaragdo ter, & quater visi sunt euasisse, infida tamen est ad vniuersale illatio si fiat, quoniã incertũ est per accidens ne contigerit,

tigerit, an per se, nisi ratio ad communem naturam fiat: Verum hæc πάρεργα, licet non infructuosa.

CAPVT DECIMVM.

SEd antequam de Epidemia Veronensi verba faciam, nonnullæ adhuc de pestilentiæ causis dubitationes explicandæ, & scrupi eximendi, quæ cui piam posteriorum scripta legenti negotium facessere possunt: Diximus Aerē pestilentem pestilentiam afferre: Multi hoc loco solēt curiosè quærere, quod aeris vitium pestem efficiat: Fernelius vir grauis & diligens 2. de abd. rerum causis occultā qualitatem iactat: Alij seueriores Galenici qualitatem euidentem ex insigni putredine ortam: Vtramque alij agnoscunt: occultam hac ratione, quoniam si in aere sit qualitas occulta & cœlestis, quæ benefica sit, & genitalis ex Arist. 2. de generatione anim. Ergo ex contrariorum lege occulta uis corruptrix & noxia in eodem à cælo ingenerabitur: aliam afferunt rationē, quoniā Pestis arcanis remedijs curatur Bolo armena, Theriaca, Terra lemnia, atque alijs antidotis: arcanum igitur fuit id, quod nocebat: Prima ratio nobis sanè inanis videtur, quibus Iamdiu persuasum non absque efficacibus rationum momentis in cœlo, & syderibus nullam esse vim maleficā, quoniam in ijs nulla est contrarietas, nec malefica forma, à qua ea uis, actione possit prodire, tantò minus ex planetarum adspectibus, aut Radiorū varijs commixtionibus ea prodibit, cum ex Philosophię decretis ex positu & relatione nulla promouet actio, vt etiam à Ioanne Pico optime est demostratum. Cæterum & isti auctores vel inuolutè loquuntur, vel sibi repugnant, dum subdunt vitium hoc occultum à syderibus, gigni, non quod sua natura sydera quicquam mali faciant per se, sed per accidens: hoc astrologorum Auic. & Hipp. auctoritate confirmant qui quarto de morbis scripsit morbos fieri, cum ea, quæ ex cælo eueniunt, inepta sunt; Profectò nisi valdè fallor si qualitas occulta, benefica, & genitalis est per se & reipsa agens vel positiua, vt vocant, cur & hanc maleficam & corruptricem talem esse non fateamur? si contrariorum par ratio esse debet, præterea debebant enucleate explicare quomodo sydera per accidens aliquid mali faciant, cum & Picus doceat per accidens refrigerare lunam dū auerso à nobis lumine in nouilunio silet. Hippocrates verò per ea quæ ex cælo eueniunt, syderum ortus, & occasus intelligit, Pleiadum, Arcturi, Orionis canis quibus sanè astris ad solam temporum designationem in libris Epidemicis vtitur, quoniam ijs orientibus in variis anni temporibus pluuiæ fuerint tempestiuæ, & salutares quas signa vocat libro, de Aere aquis, & locis, cum ait, annum fore salubrem cum fiunt ratione signa in astris orientibus, & occidentibus, vt interim Astrologorū nugas vitemus, qui ex his locis falsò osten-

dunt Hippocratem probasse astrologicam disciplinam & iudiciariā de influxuum vi rationem: Aliorum porrò auctoritates nihil moramur. Iam vero nulli diffitendum in aerem induci posse hanc arcanam qualitatem ex prauis vaporibus elatis ab aquis putridis, & specubus, aut alijs rebus corruptis vt ex cadaueribus insepultis; hæc enim μιάσματα inquinamenta scilicet aerem occulta, & inexplicabili ui afficiunt, quod 2. de natura humana tex 5. Galenus pulchrè docuit. A qualitate autem manifesta calore scilicet, & humore, vel mutatur aeris substantia, vel simpliciter alteratur, si aer secundum substantiā corrumpatur pestilentia oboritur: si simpliciter intemperie afficiatur fiunt morbi Epidemici quod ex Galeni etiam decretis primo de temperamentis cap. 4. intelligimus. Porrò apud Medicos receptum intemperiem hanc in aere fieri à variis vaporibus sursum eleuatis, nubibus diutissimè perseuerantibus, diuturnis imbribus cum subsequente sole maxima halituum copia euocatur, hæc intemperies calida, & humida primum aerem alterat, si vlterius proueha-tur substantiam aeris inuadit, eamque putrefacit, aerem enim nos perpendimus, non vt est elementum simplex, sed vt vaporibus, & halitibus compluribus cōfusus est, & inquinatus, hinc pestilentiam necessariò ex contactu, & inspiratu huius modi aeris contingere operæ prætium est; At si quis ambigat de cęteris aeris intemperantijs calida, & sicca; frigida, & humida; frigida, & sicca, quæ solent sæpe numero obuenire cum alijs viris doctis statuo quidquid secus fortè censuit Fernelius ab iis solos epidemicos morbos non pestilentes induci, quamquam non possunt illi auctores id absolutè constituere cum abditam qualitatem, & maleficam cælestem admittant, quæ afficere aerem minime calidum, & humidum sed ijs tribus intemperiebus affectum facile posset, quin etiam temperatum, & pestilētiam ita denuo afferre. Quod spectat ad arcana præsidia eorum vsum & nos concedimus, qui inquinamētorum abditam proprietatem cum Galeno admittimus quæ ex aqua, & terra euocata aerem polluunt, quæ sanè abdita proprietas licet non cælestis ex occulta tamen permixtione & inexplicabili ortum ducit, cæterum existimaui nihilominus semper non ita occultæ proprietati fidendum, quin euidentium qualitatum maior ratio habeatur, nam vt supra etiam obseruauimus cum habeant illæ antidoti refrigerandi sanguinem attemperandi, & puriorem efficiendi, quod & à Fracastorio nostro obseruatum legimus.

CAPVT VNDECIMVM.

AErem corruptum, & inquinatum pestilentiæ auctorem esse statuimus: verum in vulgus iam increbuit opinio, contagium ex fomite ad concipiendam pestem plurimum posse, imò ferè in Rebus

publicis,

publicis, & ciuitatibus quantumuis bene institutis ita receptum est à fomite pestilenti esse cauendum, custodijs publicis ad confinia ditionis, & notas vias adhibitis, interdictis vrbium comercijs, publico sanitatis diplomate ab aduenis seuerè exigendo, Nosocomiis, quę Lazaretta vocantur exædificandis, comburendis rebus ferè omnibus, quæ ad ægrorum supellectillem pertinent, atque aliis huiusmo di cautionibus anxiè admodum, & capitali etiam mulcta iniunctis, atque ita satisfactum abundè putant publicæ saluti, quasi ab aere nihil formidandum sit, dum à contactu, & fomite securi simus. Hæc sanè tractatio vberiorem disputationem postularet, cum maximi sit momenti, sed quoniam in præsenti de peste ex professo non agimus, nec hic locus est accommodatus huic rei explicandæ cum nec ciuitas nostra, nec Mirandula Dei beneficio pestilentia hoc tempore laborarint: solum; validas quasdam rationes breuiter afferemus ad communem hunc errorum explodendum, cum Syluester Faccius Ienuensis Doctus, & diligens Medicus hoc argumentum pulchrè, & copiosè in suis Dialogis tractarit, Non ii sanè sumus nos, qui pestem à fomite, & contactu (quæ duo sunt contagii gratia) ortum posse ducere inficiemur, cum ratio, exprimentum, & probatorũ Auctorum, Fracastorii potissimum testimonium id satis comprobet (quamquam sanè nemo veterum de hoc contagio ex fomite rerum inanimatarum tractauit) & Aristoteles 7. sect. proble.4. duplicem tantum contagij modum nouisse videtur ex spiritu, & vapore glutinoso per summa corporis oberrante: quamuis Philosophus accurate illum locum legenti videri possit contagium lippitudinis à Tabis contagio secernere, cum ait oculum partem nostri corporis nobilissimam facilem moueri ab eo, quod moueat, & proinde cæterarum maxime omnium rei sibi obiectæ similem reddi, atque ita fieri vt perturbatum respiciens oculum facile ipse etiam perturbetur, quare hanc contagii vim in naturalem sympathiam vel facilem oculorum perpessionem referre videtur: At tabis contagionem ex spiritu corrupto oriri statuit, celerrimè autem omnes morbis iis arripi, qui spiritu corrupto proueniunt, quale est omne pestilens genus, qui enim appropinquarit, talem spiritum trahit qualem æger ille reddiderit; quo loco diligenter obseruandum omnem Pestilentiam statui ab aere vitiato prouenire vel spiritu corrupto, quæ fuit etiam Hippocratis opinio, & omnium veterum, qui pestem ex contactu, aut fomite rerum animæ expertium, vel in his seruato contrahi non obseruarunt: Quod à recẽtioribus obseruatum nos sanè, vt pauló ante diximus, non inficiamur; Id solum damnamus cum passim spreta aeris consideratione à solo fomite produci pestilentiã, existimatur: hinc Aeris nulla habetur ratio: soli fomiti cauendo, abigendo, extinguendo incumbitur. Omitto Hippocratem Galenum Tucididem, & tot veteres præclaros, & oculatos viros de fomite hoc

nihil

nihil fere loquutos in pestilentis, quas fusè commemorant, æquum tamen erat causam hanc tanti ponderis non prætermitti, si eam necessariam esse nouissent]: sed innatus pestilentiæ timor vulgo oculos ita obcæcat, vt causis non vsque adeo manifestis [contemptis fomitem solum pertimescat, cum causa sit satis aperta, & vulgaris, nam & Galenus id dumtaxat sat habuit dicere, periculosum esse in statu aeris pestilenti cum peste affectis conuersari; aeris quippe constitutio erat diligenter expendenda, qualis nunc vigeat quamve prægressam exceperit, & Hippocratis exemplo pręstiterat aerem potius corrigere, defficare puriorem reddere, quod ipse optime præstitit Athenas, & Græciam à maxima pestilentia vindicans, excitatis compluribus incendiis in vicis publicis, & platęis ciuitatis ex odoratis, & benéolentibus lignis]. Verum breuiter rationibus quibusdam communis hic timor extenuandus, vt pariter ostendamus interdictum commercium parum profuturum fuisse si aeris vitio pestis (quod Deus semper auertat) inualuisset. Profecto si fomes in laneis vestibus, aut consimilibus rebus seruatus pestem efficiendi, & propagandi tam insignem habet vim, cur cum peruagata est diù, cessat tamen omnino, remanentibus nihilominus in ciuitate, vbi est grassata, tot vestimentis, atque alia supellectile, qua defuncti peste sunt vsi: Certe oporteret si ex vna bulga rerum infectarũ propagari lues initio cępit, tunc magis propagatum iri, & sęuire, cum tot res infectę in ciuitate existãt, quæ furtis, atq; aliis multis modis distrahũtur per vrbis vicos disseminantur, vel etiam à multis abscõduntur; præterea si vt ignis fomes ille seruatus pestem propagat, ergo sicuti ignis maior redditus se magis propagat, ita fomes ille, & maiori copia rerum infectarum propagaretur, & maiorem cladem afferret. Accedit facilius esse pestẽ iã genitam fouere, & seruare, quam nouam, vbi prius non vigebat, ingenerare, hinc igitur fiet vt numquam à peste vindicari possint vrbes, & oppida, cum à fomitibus in vestibus seruatis, quique augentur quotidie necessario semper contagij vis fouenda esset, passim enim res multæ infectornm corporum absconduntur, distrahuntur, & à multis etiam in vsum quotidianum adhibentur; neque enim credendum quantauis diligentia adhibita omnia, quæ fomitem seruare dicuntur, comburi vt igne expientur, quę sanè ratio apud viros sanæ mentis debet maximum momentum obtinere. Confirmant hanc Germaniæ, & Aegypti pestilentiæ, quæ desinunt, & obliterantur facilè, tametsi nulla ferè adhibeatur diligentia in purgandis, & igne expiandis indumẽtis, & reliquis rebus, quæ facilè fomitem seruare videntur, mutuumq; commercium indiscriminatim tuentur; Omnis igitur pestilens vis ab aere deriuat, cui rei id etiam argumento est, quoniam Austris desinentibus in sicca aeris constitutione cessat huiusmodi lues, & morientium clades, tametsi fomites contagiosi adhuc supersint; præterea nonne verisimile

risimile esset vt postquam pestis ex allata exempli gratia bulga rerum infectarum incipit grassari, statim etiam extingui debeat, tum è vestigio rebus iis combustis, & hominibus infectis ex reliquorum commercio seiugatis, & eliminatis, tum tot aliis cautionibus, & præsidiis primo illi contagii insultui adhibitis, nihilominus multi sæpe obseruarunt, & legerunt, egoque memini in pestilentia anni 1575. cum duodecimum ætatis annum agerem Veronæ pestilentes morbos, qui ex allato fomite crediti sunt primò cœpisse tot consiliis, cautionibus, & apparatibus propagatos esse augumentum, vigorem tum declinationem sponte nactos quod inditio erat in aere vitiato esse contagii vim cum omnes ciuitatis amplissimæ vici, qui numquā antea nec infectos homines nec res vllas pollutas viderant, passim ea labe conflictarentur. Hinc etiam fit vt & Nosocomia illa publica Lazarettos vocant mihi semper fuerint suspecta: Initio enim pestilentiæ tametsi omnes infecti cum sua supellectile eo sint detrusi, & diligenti custodia asseruati semper tamen pestis validè est grassata, & veluti ignis rapidus Vrbē, agrosq; depopulata. Præterea aer illius loci, vbi sunt tot pestilētia laborātes pestilentior euadit, vt propterea in Lazarettis maxima hominū pars miserābiliter intereat. Quocirca si Principes peste infectos possim diuisos hospitiis, & saparatis habitatiūculis in locis salubribus clausos degere præciperēt, quis ambigat eos & salubrioris aeris ispiratione, nec tanta animi trepidatione, & faciliori ministrorū procuratione, & citius conualituros, & minori ex parte suo fato defuncturos. Verum hæc alterius & loci, & contemplationis existunt.

CAPVT DVODECIMVM.

De Epidemia Veronensi anni 1602.

QVanti ab Hippocrate, & Galeno facta sit aeris constitutionum, & mutationum accurata consideratio, satis testantur libri aphorismorum, Epidemici & de aere, aquis, & locis: Et fortasse melius cū genere humano ageretur, si antè impetum morborum vulgarium huiusmodi constitutiones, & mutationes à Medicis accuratè expenderentur, & obseruarentur, ita enim & prædici, & præcaueri multa incommoda possent, tùm certiora, & expeditiora iam vagantibus morbis præsidia adhiberentur. Quapropter mihi in præsentia decretum est veterum vestigiis insistenti breuissimè exponere causas affectionum, quæ huius anni M.DC. II. hyberno, & Verno tempore in Veronensi Agro primum, tum in Vrbe Veronę sunt grassatæ; eę sanè fuerunt Pleuritides, Anginæ, Destillationes contumaces cum molesta Grauedine, & raucedine, Faucium ardores, Febres mali moris, pulmoniæ complures συντόμως ἀπολλύντες, quæ initio inuadebant,

vel

vel aliæ in quas Pleuritides post diem septimum ferè degenerabant, Ab his affectionibus Epidemicis multi sunt in Vrbe absumpti, sed longè plures in Agro, & Villis, & potissimum qui rusticam, & operariam vitam agebant: Harum causas externas, & internas exquiremus. Atque illud imprimis est obseruandum huiusmodi morbos non fuisse pestilentes, sed tantum Epidemicos vel vulgares, quoniã licet perniciosi fuerint, & multos celeriter interemerint, vt compertũ est, nihilominus nec contagiosi fuerunt; nec eiusdem generis, & vnius naturæ omnes, nec maximam hominum partem sustulerunt, quæ conditiones de Galeni, & Medicorum opinionem placitis sunt necessariæ, vt morbi, qui vulgantur, sint & dicantur pestilentes. Præterea id etiam est animaduertendum morbos communes à communi causa ex Hippocrate ortum ducere: Huiusmodi causa in nostra hac Epidemia non fuit prauus victus ex annone caritate vt manifestum est; omnis ergo morbi labes aeris alterationi accepta referenda: Quoniam verò morbi qui vagari solent, non tantùm præsentem Aeris statum sequuntur, sed potissimum antecedentes illius constitutiones, vt ex Epidemicis Hippocratis patet, propterea diligenter considerandum est quis aeris status superioribus temporibus viguerit. Anni igitur superioris æstate viguit aeris constitutio Austrina, eaque siccior, cuius argumentum & inditium fuit, aer vaporibus, & halitibus compluribus obsitus, imbrium expers, qui talis ferè perseuerauit tota æstate: hinc omnes stupore afficiebantur cum Iulio, & Augusto mensibus solem turbidum, & lucem eius impuram, & fuscedine quadam, & veluti ferrugine obscuratam cernerent, cum tamen in iis mensibus ob insignem solis vim aer ab halitibus potissimum crassis liber, & lux solis admodum clara, & perspicua cerni soleat, Accessit Autumnus, in quo idem aeris status viguit pluuiarum ferè expers, aut iis rarissimis, & exiguis prædita: hoc autem tempus progrediens, aut fermè desinens excepit aeris status Borealis, quocirca ex hyemis initio ante brumam acriusq; frigus viguit, quàm ea tempestate soleat, pluuiæ exiguæ non diuturnæ: aeris tamen caligo crassior quàm par sit, quæ singulis ferè diebus Decembri, & Ianuario aerem à primis diei horis ad vesperam vsque occupabat, qui cœli status erat Australis siccior cum in nubes, & imbrem huiusmodi caligo, & crassior nebula minime verterentur: Nec enim ea aeris humiditas dici poterat, cum ea tantum gemina sit, quæ aerem occupat de Aristotelis sententia nubilosa scilicet, & pluuiosa, verum hæc nostra sterilis potius erat nubes vt Aristoteles in Meteoris nebulam definit, quę ex halitibus siccis conflata, cum humiditate careret, in imbrem verti non poterat, quocirca Austros huiusmodi siccos vt plurimum dominatos existimo, qui cum simul calentes sint huiusmodi vapores excitarint; cæterum & Aquilonii flatus, vt sæpe fit hybernis temporibus inter-

currebant, hinc & glaciem, & niues obuenisse constat; at constitutio illa Australis siccior clarissimè se prodidit primis Februarii diebus, cum cælo admodum sereno, ac purissimo aere illius venti afflatus non solùm calidus & siccus, sed propemodum feruens hominũ ora afficeret, & in sublimi aere veluti ignitæ quædam nubium impressiones conspicerentur, quę sanè signa, eo præsertim tempore, magnum metum, & trepidationem plurimis incutiebant, ne pestilentiæ aliqua noxia, & ingens clades ingrueret; huiusmodi verò afflatus, & aeris status ad vigesimum vsque diem illius mensis perdurauit, quamquam postremis diebus longè mitior, & temperatior: Hunc excepit Borealis constitutio, eaque admodum clara, & serena, quæ toto sacri ieiunii tempore, & post diutissimè perdurauit, imbrium penitus expers, & vltra vernum æquinoctium longius etiam est progressa. His ita definitis, satis patet vera morborum, qui peruagati sunt, causa, quę tamen non nisi corpora apparatu morboso prædita afficiebat: Eum apparatũ duplicem statuo, natiuum, cum multi homines ab ortu naturæ, vel intemperie partium principum laborant, vnde temporis progressu cacochymi euadunt, vel etiam ex laudabili earum temperie plettorici efficiuntur, & longe quam par fuerat, pleniores; vel adscititium, cum ex prauo vsu rerum non naturalium multos, eosque malos succos congerunt; Addo & corporis habitum laxiorem, vel adstrictiorem, partes multas principes debiles vel robustas: Hinc etiam in pestilentia, quę grauior est Epidemia, Galeno teste, non omnes ea corripiuntur, sed qui duntaxat corpora habent disposita: ex Galeno 2. de differentiis febrium. Cum ergò aer ille Australis siccior, & halituosus imbrium expers, quem Aristoteles etiam noxium existimat, capita repleret, & eorum pituitam liquaret, ea facilem ad pulmones decumbebat, qui etiam ab aere illo inspirato deterius habebant, & imbecillitatem contraxerunt. Huiusmodi enim praue aeris constitutiones tum exterius corpora alterant, tùm inspiratu, & pulsu pulmones, & cor peruadentes hæc potissimum viscera male afficiunt: Hinc destillationes pulmonias, pleuritides spurias, & exquisitas plurimas esse factas scimus: eos tamen præsertim laborasse est obseruatum, qui aeri sese exponentes, corpus vehementer exercebant, quo factum vt Agricolæ primum ante, & post hybernum Solstitium valde sunt conflictati, & plurimi ex his miserandum in modum in pagis assumpti: corpora enim ex laboribus calefacta, & rariora reddita facilius noxiam aeris vim excipiebant, tum interueniens frigida, & sicca Aquilonis constitutio humores liquefactos ad pectus vel pulmones exprimens eorum primum affectus ingenerabat vel augebat, vel corporis habitum adstringens, & consuetam humorum perspirationem prohibens febres mali moris afferebat, idque in iis potissimum, qui corpora parua obtinebant, & viscerum obstructionibus obnoxia: Sed pro-

fectò omnes, qui in pagis laborarunt, cum febre affectus partium spiritualium annexos sunt perpessi, vt mihi diligenti inuestigatione id perquirenti compertum est. Martij initio sensim Vrbem nostram postmodum inuasit Epidemica hæc lues, Anginę pleuritides multæ exquisitæ, & spuriæ, Febres malignæ, Destillationes contumaces, Grauedines: Quę affectiones nihilominus minutam potius gentem, & plebeios homines affecerunt, vt diligenter obseruatum est; quod argumento erat hunc Aeris statum non fuisse noxium nisi ijs qui vt dictum est, laboribus, & vehementibus corporis exercitijs sese ipsi exponebant: Certe Ciuilium, & nobilium familiarum ægroti longè pauciores extiterunt, nec eo ferè genere ægritudinum affecti: Aliud etiam sententiam hanc nostram, & iudicium confirmat, quod cænobia & Monasteria Monialium, & virorum religiosorum nullum, vel exiguum ex ijs detrimentum, sunt perpessa, quoniã se minus aeri exponunt, & moderatissimis etiam laboribus corpora exercent, præter temperationem & in rebus omnibus victus rationem.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Quæ remedia profuisse, quæ obfuisse in hac Veronensi Epidemia visa sint.

CVm ex hac Aeris inæqualitate caloris, & frigoris se mutuò cum perenni siccitate, excipientes mense Aprili iam Veronæ morborum lues illa valde increbesceret, & passim vulgaretur, & multi ante septimam diem, non pauci ante quartam interirent, cæpi accurate & morborum impetum, naturamque animaduertere, & congruentia etiam præsidia pro morbi specie, & humorum vitio, quantum diligentia eniti poteram, adhibere: Sed illud mirum sane erat quod multi Pleuritide correpti e uestigio optimos medicos aduocantes prima morbi die secta vena, omnibus scopis consentientibus, tum lenita Aluo, ac deinceps aliis præsidiis rite, & ex arte adhibitis, nihilominus ante quartam miserè obibant, idque cum in Pulmoniam migrasset Pleuritis, vt conijcere erat: Quòd si fortè Pleuritis vltra vndecimam progrediebatur (nisi in Pulmoniam vt multis contigit verteretur) omnes ferè euadebant, quod indicio fuit, peculiare Pleuritidum, & perniciosum genus hoc extitisse, quod ita intelligendum velim, vt consuetæ Pleuritidis naturæ noua, & ferè abdita ex
3. in ter. Epid. 12. Aeris statu malignitas accederet, vt de carbunculis Galenus pulchrè tradit, quorum sanè affectus perpetuò est periculosus, cum ex vitiosis humoribus constet, tunc autem perniciosus est, cum præter natiuam malignitatem etiam eam, quem status aeris affert, coniunctam
2. in pri. Epid. habet: Præterea Hippocrates sudorem in quibusdam febribus damnat, quòd ab Aeris malitia obueniebat, qui si ex ipsa illarum febrium

brium natura & figura proueniret, cum intermittentes tertianæ existerent, longè minus malum censeret, verum quoniam adiuncta erat malignitas Epidemica ob Aeris intemperiem, huiusmodi sudores necessario difficilis iudicij febres significant; tanti refert morbum propriam seruare naturam, vel aliunde adscititiam mencisci, cum hinc & eius cognitio, & prædictio & curatio valdè varietur; Hoc sanè libenter repeto, atque inculco, quoniã à Medicis non vulgaribus diligenter animaduerti velim, quod Hippocrates, & Galenus passim in libris Epidemicis admonent, Iam verò ea pernicies, & malignitas, quæ ab aere accesserat, vnde & colligebatur, quoniã vires statim collabebantur, vt ęgrotantes in prędicto Pleuritidis genere suffocari, nec quicquam expuere posse viderentur: vt proinde necessarium fuerit primis etiam morbi diebus plenius ægrotantes alere cõtra Hippocratis atque artis decreta: Certè miraculi instar fuit ante quartam multos Pleuriticos concesso vino albo subdulci & diluto tum ouis, & Vituli, aut pullorum iure mirificè recreatos, cum antea animam agere viderẽtur doloris acumine, difficillimo screatu acuta febre, ingenti pectoris, & præcordiorum æstu & oppressione conflictati. Illud etiam peculiariter in hac Epidemia mirandum, omnes ferè, aut maiorem certè partem eorum, quibus primis diebus secari vena non potuit, quod Medicum non accersissent, vel ob alias causas, adhibitis post quartam cucurbitulis incisis malum longè lenius pertulisse, & expeditissime conualuisse, quinimò nec vllus ferę (quãtum ego diligenter obseruare potui) post phlebotomiam melius habere à Pleuritide vel à febre poterat, nisi simul cucurbitulas admitteret, quòd argumento erat accuratè rem cogitanti huiusmodi affectiones eguisse præsidijs metasyncriticis ex alto scilicet ad cutem euocantibus: Venæ sectionem in hac Epidemia potius ad interiora humores perpulisse & fluxiones, & obstructiones auxisse, potissimum in corporibus cacochymis, in quibus humores valdè recedunt à sanguinis natura, nam plethoricos primis morbi diebus vtiliter vena secta euacuatos non diffiteor. Accedit aliud testimonium, & experimentum non aspernendum; Cum enim innumeri propemodum pauperes ex pagis, & vicis amplissimæ Ciuitatis opem medicam petitum Domum meam conuolarent: quod vel sectionem venæ formidarent, vel iam progressus erat affectus, cucubitularum vsum libentius amplectebantur, qui postmodum ad me redeuntes optimum ægritudinis exitum extollebant, tametsi multi etiam ex iis lateris dolore laborarent, quod sanè possum de plurimis verè attestari: Id etiã iudicium nostrum comprobat, quod cum initio multi grauiter, & perniciose laborare viderentur cum capitis dolore febre, præcordiorum æstu, siti, & anxietudine, spontè copiosissimo sudore superueniente vel ante etiam cum frictionibus adiuto, cum latitudinem etiam & adstrictionem cutis persentiscerent, statim miraculi instar à

febre, & omnibus affectionibus sunt vindicati: Cucurbitulæ ergo & frictiones duo sanè optima præsidia visa sunt plurimum in hac Epidemia contulisse: Phlebotomia etiam initio in florentibus naturis, & Plethoricis; sed profectò transacta quarta morbi die ob virium imbecillitatem, quæ aderat, & mox statim adfutura erat, ex morbi pernicie, omnibus vel maiori parti fuit perniciosa, vt patuit; laxare enim corporis habitum, aperire, & humores intro impetum habentes ad cutis ambitum trahere opere pretium erat, quod & ad Pulmones, & Thoracem tamquam ad Partes ab Aeris constitutione male affectas affatim ij confluerent. Ex medicamentis Manna potissimum, & mel rosaceum, vel violaceum solutiua appellata opem tulisse obseruatum est, quoniam hæc affectus Pulmonis blandè lenibant, laxabant etiam Thoracem, & humores crassos pituitosos mel rosaceum: tenuiores & biliosos ex huiusmodi sicciore constitutione pariter adauctos Manna commodissimè expugnabat; His diasebesten solutiuum, & Diacatholicum aptissime adiungebantur: Infusiones etiam ex Agarico Trociscato, Rhabarbaro, Sena, Polypodio visę sunt apprime accommodatæ: vehementiora medicamenta parum vtilia, potius noxia experiebamur, tum ob virium celerem, & repentinam imbecillitatem, tum quia humores interius agitati, diffusi, & calefacti magis à validioribus medicamentis promptius ad Partes principes confluebant, ibique firmati inflammationes vel insignes obstructiones & putredines efficiebant; quocirca & lumbricos etiam ex humorum putredine in ventre, vel intestinis sæpenumero prodijsse, obseruatum est. Sanè quod magnus Hippocrates libro de moderatis purgantibus scripsit, huic nostrati Epidemiæ congruere maxima ex parte potuit; Quicumque ait, a febribus fortibus corripiuntur his medicamenta purgantia dare non oportet, donec remiserit febris, sin minus saltem non intra decimumquartum diem, carnes enim ipsorum, & Ventres cum calidi sint, medicamentum assumunt, & nihil expurgantur, & febris maior fit, & color euertitur, & morbi Regii speciem præseferunt: Commota enim Bile, & non purgata, non vult sorbere æger, neque bibere, sed omnia abominatur, & plerumque pauet. Hæc profectò aurea Hippocratis dicta iis diligēter animaduertenda, qui non expensa uaria morborum Epidemicorum causa medicamentis purgantibus miseros ęgrotantes torquent; Velim enim hoc accuratè obseruari, ne Empiricorum more cunctos vnico calceo induamus: & profectò si aliqua in re circumforanei isti Magistri ab Hippocraticis Medicis discrepant, hęc vna est potissima, quod impetum & causas popularium morborum non optime obseruant, & exquisitè distinguunt, vt hoc pacto ipsis ritè mederi valeant. nec obseruatur ad vnguem Hippocratis præceptum, quo iubemur quicquid in morbis diuinum subest, contemplari: sed de his hactenus. Integra coctio in huiusmodi morbis ante vndecimam expectari non

potuit; prius enim vires succumbebant, quam natura, & calor ingenitus sua opera moliretur, quare in Vigore multi, multi etiam in augmento peribant; qui etiam seruabantur absque coctionis signis aut criticis excretionibus & abscessibus id assequi videbantur. Qui vndecimum pertransibant cum iis omnibus signis vindicari videbantur cum iam natura in pugna superior facta reliquias materiæ melius elaborandas aggrederetur. Sæpenumero obseruatum est ex Pleuritide conualescere multos optimis coctionis signis in sputis, & Vrinis, sed ex conuersione in Pulmoniam omnia signa denuò deteriora reddita. Vinum proculdubio maximam opem attulisse visum, tum quoniam spiritus, & vires recrearet, expuitionem, & cæteras euacuationes promoueret, & iuuaret, præterea & languentem appetentiam excitaret, idque etiam cruda adhuc materia, vt iam in vulgus rumor increbesceret vinum pro his adimendis affectionibus mirificum esse præsidium. Sed medius fidius, cum morborum pernicies obstat à regulari & legitima curandi ratione interdum desciscendum, vt optimis etiam, & clarissimus Medicis visum est, Trincauellio, Fernelio, Vallesio, Capiuaceo; tum etiam Montano, & Fracastorio nostratibus, quorum auctoritati & doctrinæ Hippocrati & Galeno consentaneæ, tamquam orthodoxæ cuidam sententiæ Empiricorum nugas, & ieiunas aliorum disputationes postponendas esse mihi facile persuadeo. Ex his causæ externæ, & internæ huius præteritæ Epidemiæ, & præsidiorum ratio satis perspecta videtur.

τέλος. Anno 1602. Veronæ Mense Septembri.

ANDREAE CHIOCHI MEDICI, ET PHILOSOPHI DISPVTATIO.

Vtrum sanguinis missio in obstructione ex humorum qualitate conueniat: Galeni doctrina accuratè exposita, & defensa.



VOd vitium sanguinis quadruplex penes substantiam, quantitatem, qualitatem, & motum, spectatum phlebotomiam indicet, vberi tractatione Apologetica fuit à me contra recentiores quosdam aliàs ostensum: sed maxima ex Galeni verbis, & auctoritate difficultas orta multorum eruditorum virorum ingenia ita defatigauit, vt varijs sententijs, & interpretationibus, & locos Galeni pugnantes conciliare, & propria decreta tueri non destiterint; Nos etiam de proposita difficultate quid sentiendum sit, aperiemus, quoniam ea ad praxim medicam magnum vsum confert, atque ea non bene exposita posset venæ sectio interdum multis ægrotantibus esse perniciosa. Indicia quippe libera esse debent, nec cuiquàm præripi facultas debet, quominus ingenue in quouis medico argumento versetur: licet enim in Galeni, & Hippocratis, verba iurauerimus, recentiorum tamen hac in re ad fastidium vsque excussa commentaria nihil sanè nobis satisfacere possunt; sed iam difficultatem proponamus. Duplex esse obstructionis genus, vnum, quod ex humorum qualitate constat, alterum quod ex succorum plenitudine experientia ipsa, & Galeni auctoritas satis conuincunt: Id sanè Galenus. 10. Meth. capite 2. disertis verbis docuit; quo eodem capite subdit præferri in ea, quam copia facit sanguinis missionem, in ea quæ ex humorum crassorum, & viscidorum qualitate consistit, attenuantium vsum; lib. etiam 11. cap. 14. apertè docet Galenus nec obstructionem, nec putredinem per missionem sanguinis curari, sed hæc alia remedia desiderare, si enim neque obstructio subesset, neque putredo, protinus, si sola adesset succorum copia, à missione sanguinis, pro naturæ suæ ratione se haberet, qui ea febre putrida laboraret, de qua sermonem instituerat, quare satius esse existimat aliquid sanguinis probi in magna succorum putredine, & cacochymia relinquere (ita enim intelligendum censeo Galenum) ne intempestiue nutrire cogamur, atque hoc pacto febrem augeamus; ex hoc loco colligimus manifestè nos

ste nos in febribus putridis ex obstructione, & humorum qualitate,& cacochymia pendente,cautos in mittendo sanguine esse debere, ne id incommodum consequatur quod ante memoratum est.

Cæterum altera ex parte lib.8. Meth.cap.4. dum diariam febrem ex obstructione in calida, & sicca natura progenitam curare docet, ne in putridam migret, disertè tradit, protracta illius febris inclinatione eam suspectam reddi, quamuis putredinis iudicia adhuc in pulsu non appareant,nisi enim vitiosus succus transpiret,necesse est vt putrefiat; ergo vt transpiret maiore auxilio est opus: secandam igitur esse venam, si nec puer, nec senex sit, nec ipsi robur desit,etiam si plenitudinis signa non adsint, præstare enim maiori vitiosi succi parte emissa ad detergendas obstructiones accedere, cum remedia deobstruentia ante euacuationem totius corporis, obstructiones magis impingant, periculum enim esse ne excrementa vel crassa, vel lenta, vel multa ab ijs, quæ foras trahunt simul rapiantur, quæ cuti hærentia, & infixa obstructionem geminent; Verum aliam causam adducit Galenus cur præstet totius ante omnia inanitionem moliri, quoniam inquit fulginosa excrementa, quæ transpirant, succis ipsis imminutis pauciora restabunt: Iam vero hoc in loco Galenus de obstructione ex humorum qualitate constante verba facit, cum ex vitiosis succis in natura calidiore, & sicciore eam progigni asserat, & nihilominus venæ sectionem mirifice probat, eiusque duplicem, eumque insignem fructum commemorat, & rationibus sancit. quo pacto igitur hæc erunt consentanea ijs,quę 11. Meth.14. & 4. de tuenda Galenus constituit? quo loco sanguinem (ait) medium esse bilicsorum, & crudorum succorum, & vbi plurimum citra sanguinem restitum,vel vltra processum est,nullum tunc mittendum esse sanguinem monet,& vbi bonus sanguis exiguus,reliquus vero succus plurimus, abstinendum à missione sanguinis esse; Aureum etiam præceptum eodem 4. de tuenda cap. 5. scribitur,ab omnibus Medicis diligenter obseruandum, In copia nimirum crudorum succorum sanguinem non esse mittendum,cuius præcepti demonstratiuam rationem affert, quippe incisa vena, ait, bonum sanguinum emittit, malum, qui in primis maxime venis circa iecur, & quod Mesenterium vocant, colligitur in totum attrahit corpus, ex quo loco etiam collegimus falsam esse quorumdam Medicorum sententiam,qui ex venę sectione retrocedere intro humores noxios autumnant. Hæc igitur si vera sunt, & à Galeno plane confirmata,cur in obstructione ex humorum qualitate in corpore calido,& sicco 8.Meth. sanguinis missionem probat? Respondent recentiores quidam viri doctissimi, sed Galenicæ factioni apprime addicti, obstructionem bifariam perpendi, vel prout adhuc fit, & hoc pacto omnem obstructionem phlebotomiam postulare, siue illa ex succorum copia, siue ex sola eorum qualitate generetur, vel prout est facta, & hac ratione eam

dun

dumtaxat obstructionem, quæ ex succorum multitudine fit, per sanguinis detractionem curari: ita enim in hac contrarietatis regula seruari, in illa vero obstructione, & in omni alia, quæ adhuc fiat humores fluentes semper euacuandos esse, ac reuellendos, quod sectione venæ commode perfici animaduertunt.

Verum profectò aut ego nihil intelligo, aut hæc eorum doctrina totam Galeni disciplinam non solum peruertit, sed noxiam etiam reddit, quod planè, & solidè me ostensurum profiteor: Imprimis .n. Galenus eo. 8. meth. cap. 4. obstructionem factam cōsiderat, ait enim succos crassos & glutinosos esse impactos, at hoc non est succos fluere, sed iam osculis vasorum hærere, & obstructionē factam fouere; præterea docet humores in ea febre haudquaquam trāspirare, quod obstructionis factæ indicium est. Obstructionis etiam magnitudinē ex febris magnitudine discerni docet, ergo sine controuersia Galenus eo in loco obstructionem iam factam perpendit, quare ea distinctione recentiorum adhuc à repugnantiæ crimine Galenum exemptum non videmus.

Hunc difficultatis nodum facilè dissolui posse existimo si attentè Galeni verba eo cap. 4. perlegantur, non enim ea vasorum interiorum obstructionem, aut quæ ad viscera præcipua pertineat nobis exprimunt, sed cutis dumtaxat obstructionem, quæ inter causas stipationis eiusdem à Galeno recensetur, quocirca hæc longè alia est obstructio, in corporis enim ambitu obstructo succorum perspiratio prohibetur, quare periculum imminet ne febris putrida subsequatur intus cohibitis acribus, fulginosisque excremētis, ex quibus sanguinis massa afficitur, & ad putredinem concipiendam facillimè disponitur. Nulli vero dubium esse potest, quin ea natura calida, & sicca eos humores vitiosos habeat, qui non multum à natura sanguinis recedant, alioquin temperandum à phlebotomia erat: sed profectò nec virium robur cum insigni recessu humorum à sanguine iunctum esse poterat, præterea monet etiam Galenus eam osculorum venarum cutis obstructionem à multis etiam fieri succis, qui eo attracti, & osculis impacti obstructionem faciant, quocirca hinc etiam intelligimus ab humoribus sanguinis naturam referentibus eam fieri posse multitudinem: & πλήθωραν ad sanguinem potissimum referri in confesso est.

Cæterum præter ea, quæ supra illi opinioni obiecimus, valida ratione eam nobis hoc pacto infringere fas est. Vena scindi ad sanguinem detrahendum non debet, nisi ætas, viresque ægrotantis consentiant, at vires in obstructione ex humorum qualitate in corpore cacochymo & πικροχόλω, vbi maxime, & plurimum à natura sanguinis humores recedunt, aut in præsentia non consistunt, aut in posterum non consistent, non ergo in obstructione fiente huiusmodi sanguis est mittendus; Quod assumptum est ita probamus, si fatentur

isti obseruationem huiusmodi ex humorum qualitate factam iam & confirmatam sanguinis missione curandam non esse, cur eam fientem ita curare volunt? nonne crassi, & glutinosi succi præ sanguine in corpore valdè exuberant; at hoc pacto virium robur adesse non potest, vel diutius perdurare: ita enim oportet plurimum citrà restitum esse, vel vltra processum, vt Galeni verbis vtamur. 4. de tuen. valet. cap. 4. hoc est vel succos crudos, & pituitosos, vel Biliosos, & Melancholicos apprimè exuberare, & à sanguine recedere, quo tempore à vena secanda esse abstinendum prudenter diuinus Galenus præcipit, quoniam virium sanè robur constare non potest.

Verum & aliam adnectamus maximi ponderis rationem: Duo sunt maxima præsidia, quibus dum morbus magnus adest, vel imminet in corpore euacuando vtimur: Venæ sectio, & purgatio; at illa vicium sanguinis à quo indicetur exposuit, purgatio ergo à succis vitiosis, qualitate peccantibus, indicabitur quæ etiam vim reuellendi humores fluentes habebit, & sic obstructionem fientem curabit, hoc enim aduersarijs subterfugium, reliquum erat, quod tamen iis adeptum volumus, cum venæ sectione prauos succos fluentes reuelli dicebant; sed enim purgatio melius & tutius id præstat, quippè quę humores vitiatos à sanguine alienos, & euacuat, & reuellit; Dari enim purgationem reuellentem, & ratio, & experimentum, & Galeni auctoritas satis docent, quod nos alias in nostris quæstionibus in lucem editis abundè demonstrauimus. Nec profectò istorum doctrina vllo pacto à viro sanæ mentis ferri potest, cum siue sanguis exuberet, & quouis alio modo peccet, siue cæteri humores sanguinis paucitate, statim sine vllo discrimine, aut delectu ad secandam venam confugiunt, quo præsidio sicuti nullum est præstantius, ita nullum esse perniciosius mihi persuadeo, si incongrue, & inconsiderate vsurpetur. Fatentur quippe hi Viri eruditissimi phlebotomiam sanguini peccanti, purgationem cacochymiæ deberi, atque vnum præsidium ab vno indicante indicari, sed postea mirifica se ipsos repugnantia inuoluunt, à qua numquam certe se expedire poterunt; dum à morbo magno, quatenus talis est, indicari sanguinis missionem statuunt, nullo adhibito examine, quis nam in corpore humor potissimum peccet: sed profectò & purgationem à morbo magno indicari ita apud Galenum constat, vt peruicacis, aut stupidi ingenij sit, vel verbum vllum hac de re studio contentionis, velle facere: Vetus ergo doctrina sancta, & recta retineatur: Vitium sanguinis Phlebotomiam, cacochymiam purgationem indicare; alterutrius insigniter peccantis indicium esse morbi magnitudinem, à qua tamquàm à notiori signo si quis indicationem sumi vel purgandi, vel mittendi sanguinis dixerit, non repugnamus, dummodo id ratũ & certũ maneat, venę sectionẽ a vitio sanguinis, purgationẽ à vitio aliorum humorũ à sanguine, indicari; si proprie loqui velimus.

Hæc omnia eo dicta, & explicata fuit à nobis vt probaremus obstructionem ex humorum qualitate constantem, nec factam, nec fientem, quantum in ipsa est, per uenę sectionem curari, cum purgatio & reuellere, & vacuare vitiosos succos à sanguine alienos debeatatque hoc pacto, quò minus illa fiat obstructio, prohibere: si enim in hominibus sanis misso sanguine cum humores ob insignē frigiditatem, vel caliditatem plurimum distant à forma sanguinis maxima virium fit iactura, propterea tale remedium Galenus 4. de tuenda sanit. interdicit; quanto magis in febribus vigente putredine vires longe imbecilliores reddentur? Quæ sane doctrina præstantibus quibusque Medicis semper placuit Trincauellio, Valesio, Massæ, Iacchino Valleriolæ Manardo, Capiuaceo, atque alijs, qui totam ætatem in Galeni placitis accuratè euoluendis consumpserunt.

At rursus vocem tollunt, salutanter in omni febre putrida sanguinem mitti de Galeni sententia, hac vna sancita lege, dummodo ætas, & vires hoc remedium non prohibeant; nam 11. Meth. cap. 15. optimum ait esse Galenus venam incidere non solum in synochis febribus, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι ἐπὶ σήψει χυμοῖς legi volunt ἐπὶ σήψει χυμῶν, vt aliæ febres à synochis intelligantur, quę ab humoribus putrescentibus fiunt: Vtrumque autem legemus certum est Galenum vitium sanguinis semper prę oculis habuisse, quod tribus modis consideratur, vel enim sanguis peccans causæ principalis rationem habet, vt in synochis, vel causæ morbum adiuuantis, vel sine qua tuto morbus, vel febris auferri à Medico nequit; His duobus modis sanguis suspectus esse nobis pōt in alijs febrib. à synochis vt in quartanis, tertianis, quotidianis: quocirca prudens Medicus ad secādam venam se accingit, vbi nec ætas, nec vires prohibuerint: Vitium igitur sanguinis semper ante oculos habendum, nec tàm temere, aut præcipitanter sanguinis missio pręcipienda, quod & Galenus veluti nos commonefacit primo lib. ad Glauconem in curatione tertianæ non exquisitæ cum ait, quod si sanguinem mittere oporteat, neque hoc quoque omittendum, sed ab initio statim adhibita earum rerum, distinctione tantum mittendum, quantum pręsens exigit status: Quis non videt hic Galenum sub conditione sanguinis præcipere detractionem in ijs febribus? ergo aperte cōcedit aliquādo euenire posse, vt nullus sit in ijs febribus phlebotomiæ vsus, sed vult adhibendam esse distinctionem earum rerum quę sunt scitu necessariæ, & ab ipso aliàs copiosè explicatæ, vt nimirum ratio habeatur ætatis virium, anni temporis, humorum peccantium, & si quæ alia sunt eiusdem generis. In tertiana etiam Galenus venæ sectionē prætermittit: in quartana probat, si fortè sanguis vehemēter superabundās appareat, & si vena incisa, qui fluit sanguis crassus, ac niger videatur, alioquin statim supprimendum, si flauus, & tenuis apparuerit; Quid igitur? Nonnè sunt istæ febres ex putrescente humore

proge-

progenitæ? Galenus tamen in ijs interdum illud præstantissimum remedium improbat, Non ergo febris quà talis est semper id expostulat, cum ab humoribus à sanguine alienis producitur, qualis bilis est, pituita, & Melancholia; neque solæ vires, & ætas respiciendæ in illis febribus vt sanguis mittatur, sed si de vena secanda cõsilium vnquàm capiendum est; sanguinis status ægrotantis hominis spectandus, an ille vel gignat, vel foueat præsentem febrem, vel saltem eius legitimã curationem impediat, quemadmodum acutè Galenus vidit quartanam à sanguine abundante foueri, à quo etiam eius legitima curatio potest impediri: Remedia enim incidentia, & attenuantia cum calida sint, quibus humores crassos incidimus, si vehementer superabundet sanguis, eum fundere possunt, & liquare, quare præstat ante omnia eum exhaurire, & potissimum in Quartana si crassus sit, & niger, quoniam & causæ fouentis rationem obtinet, quod si flauus, & tenuis extiterit, statim esse supprimendum præcipit, quoniam in quartana valde recedit putrescens humor à sanguinis natura, vt patet, cum vel calidus, & siccus, vel frigidus, & siccus existat, quare sanguinem probum tamquam Thesaurum quempiam naturæ seruandum vult Galenus.

In his profectò Galeni locis explicandis mirifice se torquent aduersarij, & in febre quartana malitiosè ea Galeni verba omittunt (si forte sanguis vehementer superabundans appareat) ita enim manifestè videtur Galenus sanguinis vitium spectasse; & cum lib. aduersus Erasistratæos, cap. 6. scriptum legimus; Qui nostra tempestate cunctas febres in principio venæ sectione indigere putant, non mediocri sanè noxa ægros afficiunt, dicunt ijs verbis dumtaxat reprehendi quosdam iuniores Erastrati sectatores, qui nec mensuram sanguinis mittendi, nec venarum secandarum rationem tenebant; sed proculdubio nihil ijs clarius ad eorum refellendam doctrinam legi existimo, quam sanè adeo imbiberunt, vt præsentibus dumtaxat ijs tribus scop's, virium, ætatis, & morbi magnitudinis nulla alia re perspecta, nulla alia conditione adhibita euestigio ad illud remedium euolent; Illud mehercle audeo palam profiteri, atque Medicis omnibus ingenuo, & philosophico animo præditis inculcare, Galenum alitem non posse à repugnantia euidentissima vindicari, si quæ ad Glauconẽ, & 11. Meth. 14. & 14. de tuenda 4. scripsit comparentur ijs, quæ 8. Meth. 4. & 11. Meth. 15. leguntur, sed nostra expositione omnia clara, & veritati consentanea redduntur, cum aliorum sententia & explicatione mihi illa magis inuoluta, & tenebris Cymeriis obscuriora reddi videantur. Vt hac de re scriberem, sum Emilij Campolongij Medici Clarissimi hortationibus incitatus, qui per litteras id à me obnixè efflagitauit. Cum eum nupenimè de vniuersa studiorum meorum ratione certiorem fecissem. Et quamuis hanc

meam

meam Galenicæ sententiæ explicationem & rationes à me allatas ipsi adhuc non communicaueram, existimo tamen ijs in lucem editis ab ipso inter legendum calculum addendum, cum ferè doctissimi quique viri in Veteri doctrina retinenda, & tuenda conspirent.

